



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **VIALEMBENSIS*** DISTRACTO TERRITORIO
AB ECCLESIA AGANIENSI,

NOVA DIOECESIS CONDITUR NOMINE VIALEMBENSIS Properamus Nos, Qui Apostolorum Principis locum tenemus, ea omnia peragere, illa tempestive perficere, quae fidei nostrae Christique religioni propagandae aut intendendae conferre possunt. Quam ob rem, cum expostulatum sit ut Ecclesia Aganiensis in insulis Marianensibus Septemtrionalibus divideretur, atque distracto territorio nova constitueretur dioecesis, negotio bene reputato consilioque petito a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositis, sequentia decernimus. Ab Ecclesia Aganiensi territorium separamus vulgo dictum « Commonwealth of the Northern Mariana Islands », atque ex eo novam constituimus dioecesim nomine *Vialembensem*, cuius fines iidem erunt ac fines territorii de quo diximus. Huius dioecesis noviter erectae episcopalnis Cathedra erit in templo Deo dicato in honorem Beatissimae Virginis Mariae a Monte Carmelo — quae principalis Patrona Insularum Marianensium Septemtrionalium exstat — in urbe Chalan Kanoa. In nova dioecesi, sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione obnoxia una cum tota provincia ecclesiastica Aganiensi nuper condita, pro Canonicorum Capitulo Consultores dioecesani elegantur et adhibeantur ad normam iuris ; pro institutione vero iuvenum in Ecclesiae spem succrescentium adhibeatur praecipue Seminarium Regionale Maius Sancti Petri Aloisii Chanel, extans in Archidioecesi Suvana. Episcopus Vialembensis de iure participem erit Conferentiae seu Coetus Internationalis Episcoporum Pacifici (CEPAC) et erit in ambitu iurisdictionis Delegationis Apostolicae in Insulis Oceani Pacifici ; praeterea, vi Decreti *Viso et mature* die XXVII mensis Novembris anno Domini 1980 dati, ad pertractandas causas nullitatis matrimonii propositas in dioecesi Vialembensi, adhibeatur uti tribunal secundae instantiae Tribunal Regionale Suvanum erectum apostolica licentia a Praesulibus supradictae Conferentiae Episcopalnis Internationalis, integro semper exstante iure recurrendi ad Sacram Romanam Rotam iuxta Sacros Canones et salvis indultis particularibus a sacra Congregatione pro Gentium Evangelizatione forsitan datis. Cetera legibus iuris communis regantur. Haec denique quae praescripsimus ad effectum adducat Venerabilis Frater Antonius Magnoni, Archiepiscopus titulo Bosetanus atque in Insulis Oceani Pacifici Delegatus Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos, atque perfecti negotii documenta sinceris exemplis ad sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione de more mittat, rite signata sigilloque impressa. Has vero Litteras Apostolicas sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die octavo mensis Novembris, anno Domini millesimo nonagesimo octogesimo quarto, Pontificatus Nostri septimo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI
a publicis Ecclesiae negotiis

DERMOT J. RYAN
Archiep. emerit. Dublinen.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost. s.n.*

*A.A.S., vol. LXXVII (1985), n. 2, pp. 110-111

© Copyright 1984- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana